



Disputatio juridica inauguralis de tacito sive legali pignore

<https://hdl.handle.net/1874/345194>

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

Tacito sive Legali Pignore,

QUAM
FAVENTE TRI-UNO NUMINE,
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,
NEC NON

Amplissimi Senatus Academicus consensu, Subtilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

CORNELIUS PHILIPPUS van LIDTH de JEUDE.

THILA-GELRUS.

Ad diem 2. Januarii horā locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi; clc lcc xcii.

*NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS ac
GRAVISSIMIS VIRIS,*

D. D. Summo Prætori , Con-
fulibus , Scabinis , nec non
Consiliariis Civitatis Thila-
næ , Dominis meis omni
obsequio & honore pluri-
mum colendis , honoran-
dis.

Hanc Disputationem Inauguralem

D. D. D.

C. P. V. LIDTH DE JEUDE,



DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

Tacito sive Legali Pignore.

THEISIS I.

Propositam mihi melius ut perstrin-
gam metam , non inconveniens erit
in limine breviter explanare quid sit
Pignus & quotuplex. Denotat au-
tem Pignus , omissis aliis significatio-
nibus , hoc in loco *jus in re , Credi-*
tori constitutum in securitatem ejus ,
quod ipsi debetur. l. i. pr. §. 1. ff.
de pign. att. Finis enim pignoris est ,

ut Creditoribus sit cautum super suo credito , quibus utile
est ultra personam habere & res obligatas , plus enim cau-
tionis in re est quam in persona , l. 25. ff. de R. f. Atque
in genere consideratum comprehendit etiam hypothecam ,
in specie vero distinguitur ab illa , quia pignoris possessio
transit in Creditorem , hypothecae vero manet penes debi-
torem. §. 7. inst. de act. l. 35. §. 1. ff. de pign. att.

A 2

Consti-

II.

Constituitur autem pignus vel expresse vel tacite. Expressus aut à persona publica aut à privata. Persona publica sive Magistratus introducit pignus prætorium vel judiciale: illud locum habet, cum ante sententiam aliquis à Prætore in possessionem mittitur *l. 26. ff. de pign. act. & tot. tit. Cod. de prat. pign.* hoc cum post sententiam, pro ejus executione judex alicui possessionem bonorum debitoris adjudicat. *l. 15. §. 2. ff. de re jud. tot. tit. Cod. si ex caa. jud. pign. cap.* Privata authoritate pignus quoque duobus modis constituitur, vel unius tantum voluntate, quod fit in testamenis & legatis. *l. 12. ff. de alim. & cibar. legat. l. 26. pr. ff. de pign. act.* Vel plurium voluntate, diciturque conventionale, & quidem fit vel nuda conventione & vocatur hypotheca. *l. 9. §. 1. ff. de pign. act.* vel rei traditione, & vocatur pignus in specie. Verum hæc hic tantum attigisse sufficiat; transamus itaque ad tacitum pignus, de quo notabimus ejus definitionem, & quænam personæ hoc pignore gaudent.

III.

Tacitum sive legale pignus dicitur, *quod circa conventionem, vel juris dispositionem, vel ex presumpta voluntate contrahentium constituitur.*

IV.

Quod à sola legis dispositione sine ullo hominis facto constituitur, tributum est *i.* Uxori in bonis mariti, in securitatem

INAUGURALIS.

tatem conservandæ, & soluto matrimonio, restituendæ dotis
l. 29. & 30. ff. de jur. dot. l. unc. §. 1. Cod. de rei uxor. act.
l. 12. Cod. qui pot. in pign. auth. item privilegium. C. de haret. &
manich. quæ hypotheca non tantum propter dotalia bona,
sed etiam nomine alimentorum & bonorum paraphernalium
uxori datur per l. fin. C. de pact. conv. Et contra marito
in omnibus bonis uxor. & illorum, qui dotem promi-
serunt, ad hoc ut dos præstetur. l. unc. C. de rei uxor. act.

V.

2. Competit tacita hypotheca ex dispositione legis pupillæ & minoribus in omnibus bonis Tutorum & Curatorum
l. pen. C. in quib. pign. vel hypoth. tacit. contr. l. 20. Cod. de ad-
min. & per. tut. junct. l. 23. ff. de reb. auth. jud. possid. quod
tamen ad hæredes pupilli aut minoris non extenditur l. 19.
§. 1. ff. de reb. aut. jud. possid. Præterea pupilli habent taci-
tam hypothecam in rebus eorum pecunia emtis l. 7. ff. qui
pot. in pign. Cum enim utilis vindicatio earum rerum eis de-
tur, verisimile est etiam hypothecariam dari: est enim ea
utilis in rem actio l. 8. Cod. de rei vind. l. 3. C. arbitr. tut. l.
2. ff. quand. ex fact. tut. min. ag. vel conv. poss. l. 2. & 4. C.
eod. l. 26. ff. de reb. credit. Idem competit privilegium il-
lis, qui rerum civitatis administrationem habuerunt, quæ
hac in parte minori comparatur, ejusdemque juris est. l. 3.
C. de jure Rep. l. 4. C. ex quib. caus. maj. junct. l. 20. Cod.
de administ. tut. & l. ult. Cod. quo quisque ord. conv. Item refer-
tur ad Ecclesiæ, & Ecclesiastica Collegia, uti Xenodochia
aliaque pauperum & miserabilium collegia, quæ in omnibus
minorum jure, adeoque & legali hypotheca gaudent, in bo-
nis eorum, qui rerum suarum administrationem habent. l.
35. C. de Episc. & Cler. quo facit etiam arg. ex l. 19. C. de Sa-
cra Sanct. Eccles.

6 DISSERTATIO JURIDICA

V I.

3. Liberis in bonis patris, à quo res ipsorum maternæ & similes administrantur l. 6. §. ult. Cod. de bon. que lib. Item in bonis patris vel matris transiunt ad secundas nuptias, pro securitate eorum bonorum, quæ à parente defuncto perverterint ad superstitem l. 6. §. 2. t. 8. Cod. de secund. nupt.

V I I.

4. Locus est & tacita hypothecæ liberis in bonis vi-
trici, in casum, quo mater tutrix nondum distractis rationi-
bus suæ administrationis ad secunda vota convolat l. 6. C. in
quib. caus. pign. tacit. idque singulari jure & favore pupillorum
receptum est. Quare etiam Gail. lib. 2. observ. cap. 90. recte
inquit: *Quod in magnas difficultates & lues incident, qui
viduas tutrices, nondum redditis rationibus, & inventario con-
fecto in uxores ducunt; proinde caveant sibi, rebusque suis ante
matrimonium providere consulant.* Et Bald. in l. penult. C.
in quib. caus. inquit: *Cave tibi, cum contrabis matrimonium
cum vidua, ut facias primò, quod reddat rationem, &
fiat ei refutatio, alias bona tua affecta erunt liberis primi ma-
trimonii.*

V I I I.

5. Concessa est tacita hypotheca Fisco in bonis eorum,
qui cum Fisco contrixerunt l. 2. C. in quib. caus. pign. tac. l.
6. Cod. de privil. fisci idque ideo, ne quod publicæ utilitati
destinatum privatorum malitia pereat. Verum hæc hypo-
theca

I N A U G U R A L I S.

theca cessat, cum Fiscus succedit in locum privati l. 6. ff.
de jure fisci. cessat etiam quando poenam persequitur l. 17.
l. 37. ff. eod. l. un. Cod. de pœn. fiscal. Præterea tribuitur ta-
cita hypotheca Fisco in bonis debitorum ex causa tributi.
Sciendum enim est, vetus Romanorum institutum fuisse,
ut Cives singulis lustris bona sua apud Censitores profite-
rentur, ut pro eorum modo tributa solverent, pro hisce
tributis bona civium fisco erant tacito pignore obstricta,
ita ut si censitus suum aliquod prædium alienasset, pro
quo tributum non solverat, exactores ejus possessionem sibi
quasi pignorati vindicarent. l. 1. C. in quib. caus. & l. 1. C. si
propter publicas penstat.

I X.

6. Tacitus pignoris nexus conceditur Legatariis & Fi-
deicommissariis in rebus defuncti pro legato consequendo,
quod factum est constitutione Imperatoris Juliani. l. 1. C.
comm. de legat. Ubi tamen observandum, quod hæredes non
teneantur singuli in solidum, sed pro parte hæreditaria,
cum tamen pignoris natura sit indivisa l. 9. ff. de pign. l. 63. ff.
de evictio.

X.

7. Tacitæ quoque hypothecæ jus habet ille qui ad refectio-
nem insulæ vel ædifici credit l. 1. ff. in quib. caus. pign.
l. 24. §. 1. de reb. ant. jud. poss. l. 25. ff. de reb. cred. Ratio
est, quia Creditoris pecunia salvam fecit totius rei causam.
l. 5. & 6. ff. qui pot. in pign. Secundo, ne alicui id, quod
publicæ utilitatis causa ad prohibendas ædium ruinas, &
deformitatem oppidorum ac civitatum fugiendam impen-
dit,

§ DISSERTATIO JURIDICA

dit, sit damnosum; modò tamen pecunia in instauratio-
nem credita, revera ad id fuerit impensa: quæ tamen
prærogativa minime extendenda est ad illos, qui vel in
novum ædificium extruendum; vel in aliam rem, ut pu-
ta navim fabricandam crediderunt *l. 17. C. de pign. l. 7. Cod.*
qui pot. in pign. Nov. 136. cap. 3. quoniam hic legum au-
thoritas, sine qua nulla legalis vel tacita hypotheca con-
cedi potest, deficit. Secus tamen in praxi observatnr ubi
etiam in navi & qualibet alia re, cui quid in necessariam
ejus refectionem impensum est, idem jus obtinet *Grot.*
introd. lib. 2. cap. 48.

X I.

Hactenus ostendimus, quibus concessum fuerit tacitum
pignus ex sola legis dispositione; sequitur ut paucis videa-
mus cui competat ex præsumpta voluntate contrahentium,
lege tamen accidente.

X I I.

Refertur hoc privilegium ad locatorem prædii urbani
in invectis & illatis in ædes pro pensione & damno *l. 2. ff.*
in quib. caus. pign. tac. non tamen pro omnibus inventis, sed
iis faltem, quæ ita inferuntur, ut durante locatione ibi sint
permansura. *l. 7. §. 1. ff. eod.* Aliud tamen obtinet in inve-
ctis & illatis in prædium rusticum, in quibus expressa con-
ventione opus est; differentiæ ratio hæc est, quod in præ-
diis rusticis satis cautum sit locatori, fructus enim quotan-
nis nascuntur, qui tacite censentur ipsi obligati, in ur-
banis autem nihil nascitur, ex quo securus esse possit.
Verum hic queritur, si conductor relocaverit ædes, an
secundi

INAUGURALIS. 9

secundi quoque conductoris res domino tacito pignoris jure teneantur? Et respondemus, non in solidum, sed pro ea duntaxat pensione, quam secundus debet primo, esse obligatas l. 11. §. 5. ff. de pign. a.7.

XIII.

Verum hic controvertitur, an merces in domum conductam illatae tacite oppignoratae sint? Negant alii, hac ratione, quod natura & conditio mercium sit, ut commutentur & vendantur, adeoque non semper in domo maneant. Alii tamen affirmant, cum quibus & nos facimus, quod scilicet merces taciti pignoris jure pro pensione sint obligatae, non quidem in specie, sed in genere, quasi pignus duret per substitutionem aliarum mercium in locum alienatarum l. 34. ff. de pign. & hypoth. huc facit etiam l. 13. ff. eod. ubi grege pignori obligato, morientibus quibusdam capitibus, si qua postea adnascantur vel comparentur nihilominus pignori tenebuntur. Quemadmodum & illæ species quæ mortis tempore inveniuntur, pignori obligatae videntur, & præcludi possunt. l. penalt. pr. ff. de pign. & hypoth.

XIV.

Non inelegans etiam quæstio huc potest referri, an scilicet libri studiosorum in museum illati tacite sint obligati? Et affirmativam sententiam amplectimur, ratio est, quod privilegia studiosorum eo non pertinent, ut contrahens cum ipsis non sit securus per tacitam hypothecam ipsis legibus concessam; secundò, quia si libri studiosorum exciperentur à tacito pignore, nihil aliud inventi vel illati superesset.

B

Alia

X V.

Alia hic quoque dubitatio suboritur de pecunia , an illa veniat nomine inventorum ? Et distinguendum puto , scilicet , quod pecunia quæ est destinata ad quotidianum usum , & ad præsentem necessitatem non veniat sub tacita hypotheca , quoniam ad hoc est inducta , ut expendatur : unde etiam dicitur res , quæ servando servari non potest . Pecunia autem quæ reconditur ut thesaurus , etiam tacite obligata est arg. l. 79. §. I. ff. de legat. 3.

X V I.

Postremo etiam de suppellectili , an in tacitam obligationem veniat quæstio occurrit ? Et quamvis alii negent , ducti hoc argumento , quod suppellex sub expressa generali non contineatur l. 6. ff. de pign. & hypoth. cui tacitam hanc similem faciunt . Verior tamen est affirmativa sententia , quia suppellex eo animo similiter infertur ut illic sit mansura , quemadmodum de inventis & illatis in prædium urbanum ib. XII. ostensum est.

VIX

COROL.



COROLLARIA.

I.

Res aliena non potest pignori obligari.

II.

Pactum quod ^{antiquorum} vocatur licet praescriptum usurarum modum excedat illicitum non est.

III.

Propria & directae donationes inter vi-
rum

rum & uxorem sunt prohibita.

I V.

Instrumenta publica fortiora sunt testibus.

F I N I S.

